

# **La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 81**

In nomine summi Salvatoris Dei. Ego Odo, misericordia Dei comes et pietate Dei abbas congregationis sancti Martini, notum fieri volumus omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, praesentibus et futuris, quoniam congruum atque oportunum visum nobis fuit ut aerumnas praesentis seculi qualiter Deo servientes et sancto Martino levius ferrent, secundum nostrae possibilitatis modum tractaremus idque exequi rationabiliter procuraremus, quatinus exinde Dominum propitium habere mereremur sanctumque Martinum, patronum nostrum, in nostris necessitatibus pium suffragatorem. Quocirca pro amore Dei omnipotentis et eximii confessoris sui beati Martini reverentia, una cum consensu venerabilis archiepiscopi domni Adalaldi, reddimus domno Martino suisque canonicis quasdam villas sitas in Italia, Solarium videlicet et vallem Caumoniam, cum omnibus earum appendiciis et adjacentiis simulque cum omnibus rebus quacunque lege ad easdem villas aspicientibus vel pertinentibus, quas enim villas dederat olim gloriosissimus imperator augustus magnus Karolus Deo et gloriosissimo patrono sancto Martino, ut inde quaedam subsidia fratribus ministrarentur. Et nos quidem ea ratione praedictas res ad integrum canonicis jam dicti sancti Martini reddimus per quantum nostrum ad sepulchrum ubi ipse eximius confessor requiescit in suburbio Turonensis ecclesiae, ut eas ad confugium suorumque peculiare sub integritate, absque ullius abbatis resultatione ac repetitione, tenere et possidere fructibusque illarum frui possint veluti proprii possessores et dominatores ipsarumque villarum sumptibus quantumcunque inaediā quam patiuntur valeant sublevare et promptiores in Dei servitio in dies apparere frequentiusque aurem Domini pro imminentibus periculis pulsare; in qua mercede in primis gloriosum et a Deo electum imperatorem, dominum et seniorem nostrum Karolum, participem volumus adesse, quatinus pro his et pro aliis beneficiis quae cotidie a sui regni fidelibus funguntur praesentem vitam gloriosius futuramque facilius optinere mereatur, deindeque nos, qui hujus beneficij fideles executores et operatores adsumus, Domini misericordia intercessioneque sancti ac domni nostri Martini, in omnibus hujus saeculi incommoditatibus praeveniri mereamur futuriisque commoda, eorundem canonorum fidelibus precibus adjuti adipisci nihilominus possimus, illorumque continuis annumerari orationibus, quae tam in missarum sollenniis quam in melodiis psalmorum fiunt unusque ex ipsis in medio apparere, pro qua etiam mercede decantabunt mihi idem fratres et in vita et post obitum psalmos VII speciales quos Ecclesia poenitentiae dedicatos habet. Insuper etiam ejusdem numeris beneficio simul consortem volumus esse dominum et genitorem meum Rotbertum, gloriosum dum vixit in terris comitem et ejusdem loci abbatem, quatinus, clementi praedicti Patris misericordia subventus, perfrui mereatur gloria aeterna. Eo quin etiam modo praedicto, scilicet eisdem fratribus omnes praedictas res concedendo, restituimus ut eas ad illorum necessitates suppleendas habeant easque usui proprio subditas omni in tempore sub integritate possideant, a nemine nostrorum equalium praesentium aut subsequentium procerum resultationem aut ullam inquietudinem unquam recipientes. Quod vero si aliquis temptaverit, in primis iram Dei incurrat et offensam sancti Martini sentiat, nisi cito se recognoverit satisfactionemque dignam reddiderit. Ut autem haec auctoritas firmior habeatur et per futura tempora melius conservetur eam manu propria subscrisimus et nobilium hominum manibus roborandam decrevimus.

Ego Odo comes et abba hanc auctoritatis cartam a me factam recognovi et annotavi.

Ego Adalaldus archiepiscopus subscrispsi.

S. Ademari comitis. S. Attonis. S. Alberici. S. Armenterici. S. Letaldi. S. Guarneaudi. S. Arcarii. S. Adalelmi. S. item Attonis. S. Sigleni. S. Ragenaldi. S. Guandalberti. S. Burgaldi. S. Guanilonis. S. Germunni. S. Gualtarii. S. Fulconis. S. Gauzfredi.

Data in mense aprilii, anno .VI. in Italia et in Francia .III. et in Gallia II  
regnante serenissimo et piissimo imperatore Karolo.

Ego Odulricus subdiaconus scripsi et subscrispsi. Actum Turonis monasterio, anno .I.  
Odone abbate.